



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

CXXIV. Landus Anno Christi 913. Ludovici III. 14. Constantini VIII. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65464](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65464)

CXXIV.

LANDUS.

ANNO CHRISTI. 913.

LUDOVICI III. 14. CONSTAN-
TINI VIII. 2.

LANDUS Trani filius, Sabinus
circa diem XVI. Octobris an-
no 913. seu, quod haud cuiquam in
dubio sit, ante mensē Februarium
912. 9. anni insequentis Pontifex factus est.
Hic, annitente Theodorâ, Joannem,
cujus illa amore deperibat, ex Pres-
bytero Episcopum Bononiensem
constitutum ad Ravennatem Eccle-
siam transtulit. (1) Post haud ita
multò obiit anno 914. ante diem cir-
citer VI. Kal. Majas, mense sexto 6
die decimo, quam Pontificatum inie-
rat.

ANNOTATIONES.

(1) Baronius ad an. 908. §. 6. *Erat ista
Romana femina senatoriâ orta progenie,
excellens pulchritudine, ingenio versa-
rissima, consuetudine Adelberti Tuscia
Marchionis potentissimi procacissima, ex
quo etiam genuit filias Maroziam atque
Theodoram sibi non solum æquales, verum
etiam*

etiam Veneris exortivo promptiores, ut ait Luitprandus lib. 2. cap. 13. *Ex adulteri potentia sibi peperit monarchiam. Nam cum munitio sancti Angeli inexpugnabilis possideretur ab eodem Tuscia Marchione, & qui eam potiretur, Urbi quoque dominari facile posset: hac pessima femina eam arte Dominium Urbis est consecuta, illudque in posteros propagare curavit, filias prostituens Pontificibus Sedis Apostolicae invasoribus, & Tuscia Marchionibus; ex quibus tantarum invaluit meretricum imperium, ut pro arbitrio legitime creatos dimoverent Pontifices, & violentos ac nefarios homines, illis pulsatis, intruderent.*

Porro, ut idem Baronius subjicit ad an. 912. §. 7. *Theodora non quievit, donec eundem Joannem ex Archi-Episcopo Ravennate in Cathedram Petri violenter intrusit. Duplici causa tanta aucta est meretricis potestate, tum quod ejus filia Marozia fuisset Sergio Pseudopape prostituta, tum etiam quod altera filia Theodora Adelberto Marchioni Tuscia juncta adulterio esset, ex qua Albericus est natus, qui patris potentiam Urbi dominabatur. Hic status infelix sanctae Romanae tunc temporis Ecclesiae, ut arbitrio po-*

Kk 5

tentissima meretricis Theodora matris
omnia moverentur. Accessit verò ad
potentiam ejus, quod defuncto Adelberto
Marchione Tuscia, loco ipsius regnans
filius ejus ex Berta conjuge Vido nomine
Maroziam scortum Sergii in uxorem
acceperit. Hac omnia Luitprandus epus
temporis scriptor. Quanta autem esset
potentia Tuscia Marchionum, ex eodem
auctore probe intelligere potes, dum de
ipso hac ait: Hic Rex potius, quàm Mar-
chio poterat appellari, in nullo quippe mi-
hi est inferior, nisi solummodò nomine.

CXXV.

JOANNES X.

ANNO CHRISTI 914.

LUDOVICI III. 15. CONSTAN-
TINI VIII. 3.

JOANNEM X. Joannis filium,
Romanum Ravennæ Episcopum
in summum Sacerdotium Theodora
favor evexit. (1) Pontifex consecra-
tus est anno 914. mense Aprilis
exeunte, & partum arte malâ Ponti-
ficatum haud malè gessit. Saracenos
qui arcem Garilianam ad ostium Li-
ris, & Latii fines positam, annum
jam quadragesimum tenebant, má-
ximo

Bar. an.

912. d. 12

Pag. 5.

7. 8.